

DANIEL ARCHIEPISCOPVS MOGVTINVS.



Daniel ex nobili familia Brendelorū ab Homburg natus, & in omni genere uirtutum educatus eslet. Is cum felici ingenio esset præditus, à pueris operam literis dedit, & magnum earū usum sibi comparauit. Accedebat & uitæ integritas, cum naturali quadam facundia. Itaq; cum adoleuisset, Moguntiam peruenit, & in canonicorū collegium cathedralis Ecclesiæ receptus fuit. In eo genere uitæ tanta animi moderatione per gradus ascendens uixit, ut post Sebastianum à Hausenstein electorem, qui in Martio anno 1555 fato functus erat, communibus suffragijs Archiepiscopus et Septemuir Mogūtinus eligeretur. Cum in tanta rerum eminētia constitutus eslet, nequaquam animū cum fortuna mutauit, uerūm uitæ frugalitate & solita temperantia perseuerauit. In primis uero loca quedam ab Alberto marchione destructa reparauit, atq; Archiepiscopatū ad pristinum nitorē reduxit. Itaq; factum ut hinc inde ob raram animi prudentiam in comitijs magnam sibi autoritatem apud alios principes compararit.